

vel cœlum aspiciunt. Sicut enim qui ex remotissima regione venit, utique valde gaudet, cum patriam ac domum de procul intuetur suam, licet adhuc naviget vel lutosa via aut in pluviis incedat: ita lætantur electi cœlestis patriæ aspectu, licet nondum ibi sint, et adhuc inter mundi hujus fluctus laborent.

Augere nostrum hoc gaudium debet, quod adhuc in via sumus, adeoque augere semper magis et magis mercedem nostram possumus. Quid enim darent damnati si in hanc redire vitam possent? Quid animæ purgantes? Ecce nunc tempus nundinarum: Nunc regnum Dei intra nos est. O quam gavisum existimamus fuisse Petrum illum telonarium, qui cum fuisset avarissimus, nec quidquam boni egisset, præterquam quod aliquando unum panem in faciem mendici indignans projecisset, in ægritudinem raptus et appensus in statera, cum unicus ille panis adæquaret lancem alteram peccatis ejus onustam, ideoque jubere ab angelis redire, et addere ad panem illum, nisi vellet rabi ab astantibus Mauris, seu dæmonibus? O quanto reversum gaudio putamus? Certo post liberalissimus factus omnia sua pauperibus et seipsum denique elargitus est, ut habetur in vita apud Metaphrasten. Imo etiam beati, qui jam fruuntur cœlo beatiore nos hac ex parte judicant, quod cum ipsi jam sint in termino, nos augere merita nostra in dies possimus. Legimus enim in vita S. Mechtildis virginis, eam aliquando audivisse sanctos sibi dicentes: «Eia quam felices vos estis, qui adhuc vivitis in terris, et quam multa promereri potestis: quia si homo sciret, quanta una etiam die promereri posset, mox ut e somno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur, pro eo quod dies illa illuxisset, in quo Deo vivere, et ex Dei gratia suum meritum ad Dei laudem augere posset, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur.» Refert Blossius, l. IV. spirit. vitæ, c. IV.

VI. In tribulationibus æquo animo acceptis, uti monet S. Jacobus, c. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Triplicem hujus rei causam indicat nobis Sara Raguelis filia in sua precatione, Tob. III. cum ait: *Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus si in probatione fuerit coronabitur, si autem in tribulatione fuerit liberabitur, et si in correptione (sic enim rectius legitur) fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.*

Primo ergo, intelligit se in tentatione probari, et tunc: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, ut ait S. Jacobus, c. 1. epistolæ suæ.* Ergo sicut non dolent, sed gaudent potius, qui spe magni lucr

laborem aliquem subeunt, ita pii quoque quia ex adversis magnam sibi coronam sperant, Gauderet sane lapis, si sensum haberet, quod scalpello poliatur, fiatque statua regis elegans; lignum quod dolabra lævigetur, fiatque thronus pontificis; pannus quod lixivio purgetur a sordibus, etc. idem facit tribulatio justo, cur ergo is non gaudeat?

Secundo, intelligit se tribulari seu exagitari flagellis et molestiis, et tunc liberabitur a periculis, et variis peccandi occasionibus, quas ei bona valetudo, rerum affluentia, et segura quies offert, quo modo mediis tribulis purgatur a paleis triticum. Sicut enim sal conservat carnes a putredine, ita tribulatio corpus et animam a concupiscentia et peccato.

Tertio, intelligit se corripi, ut peccatorum, in quæ impeggerat, maculis pennisque detritis, misericordiam consequatur, qua in hoc potius, quam altero puniatur sæculo. Non enim punit Deus bis in idipsum. Hinc viri oculati non tolli sibi tribulationes, sed augeri peroptarunt, ut Pius V. pontifex, qui acerbis calculi doloribus afflictus dicebat: *Domine, auge dolorem, auge et patientiam:* S. Theresia quæ orabat: *Da aut pati aut mori. Vitam enim meam aliud esse nolo, quam te amare, pro te laborare, pro te pati:* S. Xaverius qui precatus est: *Domine, ne hanc crucem mihi auferas, nisi majorem immittas.* Maluerunt enim hic uri quam ibi. Sed dices tribulationem esse plagam communem tam reprobis quam bonis, tam infidelibus quam fidelibus; unde igitur materiam gaudii præbere queat bonis? Resp. bonis eam prodesse, non malis; sicut solis lux bonum est commune et salutare, sed laborantibus et ea bene utentibus: non prodest cæcis, nec dormientibus, nec otiantibus, etc. sic tribulatio bonum est quidem commune, sed non prodest cæcis, id est, infidelibus et hæreticis, nec peccatoribus tametsi fidelibus, nec impatientibus et murmurantibus, etc. Prodest autem fidelibus, pœnitentibus et patientibus.

Ergo si hic tempus habuerimus nubilum, ibi habebimus serenum: si præcesserit modicum tribulationis, subsequetur æternum consolationis. Ideo subdit Sara: *Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.*

## CONCIO VII.

NON ESSE VANÆ LETANDUM IN MUNDO, SED FLORANDUM POTIUS.

I. Jubent debita nostra. — II. Obstaculæ salutis. — III. Incertitudo salutis. — IV. Vallis lacrymarum

ista. — V. Præsentia Dei inspectoris. — VI. Mors, judicium et infernus. — VII. Gloria non sine fletu obtinenda.

## THEMA.

*Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos: mundus autem gaudebit.* Joan. XVI.

Duos sibi plurimum adversatos fuisse in moribus philosophos narrat antiquitas: Democritum videlicet et Heraclitum: Quorum prior, ubique locorum esset, ridere hominesque deludere solebat, adjungens: *Cupiditatem diu vivendi hominum meram esse stultitiam.* E contra Heraclitum philosophum semper flevisse, compatientem hominum miseriis; Laert. l. V. cap. II. Certant eadem de re inter se Babyloii et Jerosolyma. Illius enim incolæ lætandum esse asserunt, cantandum, saltandum, ludendum, epulandum. Unde invitant homines ad lætitiã, Sap. II. *Venite et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, etc.* Hujus verò incolæ contrarium docent, flendum potius et dolendum esse in mundo asserunt, et ad hoc etiam nos invitant Psalm. LXCIV. *Venite adoremus et procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos: Atque hoc ipsum est, quod hodie audimus in evangelio: Mundus autem gaudebit, vos vero (discipuli et servi Christi) contristabimini, quid igitur faciemus auditores? Ad quam partem ibimus? Ego sane, si cætera omnia esse paria, etiam Democrito; Babylone et mundo non difficile sentirem. Quis enim neget suavius esse gaudere quam tritari? Ridere quam plorare? Sed terreor vehementer; quia multa video, quæ lætari me non sinunt, sed potius ad fletum trahunt. Audio enim imprimis sapientissimum illum Salomonem, testem expertum et omni exceptione majorem, dicentem Ecclesiastes II. *Dixi ergo in corde meo: Vadam et affluam deliciis et fruam bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudium dixi: Quare frustra deciperis? et infra, cap. VII. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; et rursum ibidem: Cor sapientum ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.* Audio deinde sapientiore et meliorem Salomone, Christum, qui Luc. VI. ait: *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis: et paulo post subjunxit: Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Quam doctrinam suam operè implevit, quod non fecit Salomon; quia ut S. Chrysostomus, hom. VI. in Matth. ait: *Fletem Christum frequenter invenies, nun-**

quam vero ridentem. Qua in re non docuit Christus gaudium et risum honestum æris Dei illicitum esse; sed tantum non licere Christianis, dare se et vacare ineptæ et vanæ lætitiæ, qua obliviscamur nos esse in valle lacrymarum. Quoniam vero hanc doctrinam difficillime credit mundus, afferam in medium aliquot argumenta, quæ clare eam ostendunt.

Merito Sapiens ait, Eccl. XXII. *Musica in luctu importuna narratio.* Quemadmodum enim fiducines in luctuosa domo canere incipientes statim increpantur et jubentur facessere; ita qui in hoc mundo inepte vult gaudere, objurgatur a quam plurimis. Quis enim est, quæso, qui cantantem, ridentem et gaudentem hominem hic non arguat? Tacere non jubeat?

I. Jubent debita nostra, peccata scilicet præterita eorumque pœnæ adhuc luendæ: quæ sæpe plurima et ingentia sunt. Experimur autem nos cum magnis debitis premimur, vix dormire posse, diu noctique angere, aliquo propterea sibi ipsis necem inferre; ut mirum sit, si magnus debitor lætus esse possit, ad instar illius equitis Romani, qui cum ingentem pecuniarum summam deberet, id tamen semper reticuit dum viveret. Eo igitur defuncto, cum debitorum enormitas patesceret, et res illius auctioni subicerentur, ut creditoribus satisficeret, miratus Augustus Cæsar hominem illum tam obæratum vivere quiete potuisse, ex bonis illius culetram bicubitalem emi sibi præcepit. Mirantibus aliis: *Habenda est, inquit, ad somnum mihi conciliandum culcitra illa, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit.* Refert Macrobius, l. II. Saturn. c. IV. Non injuria hoc idem dixerit quis de iis qui debita debitis addendo quotidie peccant, et interim de satisfactione ac pœnitentia nihil solliciti sunt.

Hoc in se deplorat David, Ps. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me: et mox: Miser factus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Dic enim mihi, si scires tibi saltem per unum diem, imo per unam horam manendum esse in purgatorio, an tu non mallet hic per triginta annos vivere in austero ordine? Quid enim non promittunt tibi, qui ultimo supplicio adjudicati sunt? In acie exercitus se dimicatueros et hostem primo aggressuros, in trimibus se remos tractatueros pollicentur, modo dimittantur. Et non merito timeamus, ne diutius in purgatorio aliquando detineamur? Et adhuc ridemus?

II. Obstaculæ salutis nostræ plurima: tentationes et tentatores, caro, mundus, dæmon. Doleat mercator videns nundinarum tempus accelerare et se cum navi semper hæere in salo.

Dolet Alexander et plorat, quod necdum unum subegerit orbem; et nos non ploremus, qui sæpe longo tempore, nec unicum superare et vincere in nobis possumus vitium? Ob similem causam vociferabatur et flebat populus Israel videns et audiens tot se habere impedimenta perveniendi ad terram promissam, urbes grandes altissimis muris cinctas, terram devorantem habitatores suos, homines gigantes, Num. XIV. Atqui iter salutis nostræ multo plures et peiores obsident hostes, mundus, caro, dæmon, qui perpetuo nobis insidiantur, vulnerant et prosternunt nos, vel saltem a salute retardant. Quomodo igitur inter tot hostes possumus gaudere? Hinc S. Augustinus, l. de conflictu vitior. et virtutum, c. XXI. ait: «Unde tibi lætitia? Numquid jam diabolus vicisti? Numquid jam inferni penas evasisti? Numquid jam de exilio ad patriam venisti?»

III. Incertitudo salutis, quia adhuc navigamus incerto nescientes quomodo appulsuri simus. Iter agens et in silva oberrans hilaris esse nequit, donec indaget recto se itinere incedere, cur non magis in via salutis? Dum iudicium alicujus incarcerati agitur inter spem et metum constituti, quomodo is lætari possit, donec certior fiat de liberatione sua, quomodo non suspiriis et lacrymis imploret opem iudicis? Nimis parvi æstimaret vitam suam, si adhuc in carcere cantaret, tripudiaret, luderet. Atqui nobiscum de fortunis omnibus et vita æterna agitur. Jacob in patriam revertens cum audisset Esau fratrem suum, quocum graves semper inimicitias gesserat, properare in occursum sibi cum quadringentis viris, valde timuit et perterritus separavit de singulis gregibus suis munera et præmisit ad fratrem placandum, quem ne iratus sibi et inimicus occurreret, timebat, Gen. XXXII. Occurret nobis cum multis angelorum millibus aliquando Christus iudex, et nescimus, num placido an irato vultu nos intuiturus sit: quomodo igitur non semper vehementer timeamus, et cum S. Hieronymo sive comedimus, sive bibimus, tubam illam audire nobis videmur; *Surgite mortui, venite ad iudicium?* Tamen enim aliquis sibi conscius non est, unde timere debeat: dum tamen cogitat, Deum esse illum iudicem, qui multa videre potest, quæ nos non videmus, quomodo securitatem sibi polliceri potest? David certe Psal. XVIII. cum se mandatorum Dei sedulum observatorem prænuñtasset, dicens: *Etenim servus tuus custodit ea*, mox se corrigit, subjungens: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me et ab alienis parce servo tuo.* Job etiam etsi dixerat: *Non reprehendi me cor meum in omni vita mea*, c. XXI. ait tamen: *Quid faciam cum surrexerit ad*

*judicandum Deus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi?* cap. XXXI. Et apostolus Paulus, 1. Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Similiter B. Aloysius Bertrandus sedulo flebat, et interrogatus dicebat: *Cur non amarissime fleam, cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus?* F. M. Justinian. in vita, c. IV.

IV. Locus, quia sumus in valle lacrymarum et pœnitentiæ. Sic Adæ dictum: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: item: *Spinæ et tribulus terra germinabit tibi.* Qui etiam de paradiso ejectus in exilium contra paradysum positus est, ut ejus intuitu semper doleret memor unde excidisset. Rob. Holcot. in 1. Sap. l. t. XLIV. refert in libro de nat. rerum scribi, avem paradisi quamdam esse pulcherrimam et omnium pene colorum, voce tam dulci et pia ut in hominibus devotionem excitet, quæ si forte capta detineatur incessanter gemit, donec dimittatur. Ita anima nostra quia de paradiso est, et ad Dei laudem creata, hic detenta, mirum quomodo non gemat semper cum apostolo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et Davide: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Tobias ab angelo gaudere jussus: *Quale gaudium, inquit, mihi sit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video.* Sedemus et nos hic tenebris ignorantie et lumen cæli Deum non videmus, quale ergo gaudium nobis? Ideo Arsenius abbas assidue flebat ob desiderium cælestis patriæ. Piscis dum extra aquam est, brachio dum extra locum suum, bene esse non potest: ita nec spiritui nostro, dum extra patriam suam est. Unde nihil hic est, quo satietur, sed gustata aliqua creatura, mox eam respuit, et bonum suum quærit, quo satiari possit. Unde David, Psalm. LXXVI. *Renuit consolari anima mea.* Sic Israelitæ in captivitate Babylonica non poterant cantare, sed suspenderunt in salicibus organa sua et flevunt, Psalm. CXXXVI. Suspendunt in salicibus organa sua, qui instrumenta lætitiæ relinquunt infructuosus mundi hujus arboribus et amatoribus. Unde cantare jussi hymnos seu cantica læta, dicunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

V. Præsentia Dei inspectoris. Non solent canere aves aquila præsentem. Et Balthasar in convivio tremit, quando videt manum contra se scribentem amaritudines, Dan. V. Scribeat enim peccatum illius, quo sacris templi vasis in mensa abuteretur. Unde Job. c. XXXI. ait: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Dum ergo tu rides, saltas, lætus es et hilaris, scribit et notat interim manus Dei omnia act. tua, imo omnes gressus tuos numerat, ut Job ait, et apponit in statera. *Væ tibi si levior et minus habens*

reperiaris. Sed dubitas forsitan an Deus te semper aspiciat? Quæso mihi responde: Putasne audiri te a Deo cum oras? Imo ais. Sed num etiam si in loco clauso et obscuro precaris? Etiam, dices, quia Dominus dicit Matth. VI. *Intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Similiter num stans an flexus ores: num tantum vel tantum elemosynæ des, etc. videtne ad unguem? Omnino ais. Jam igitur si bona tua opera fateris et nequaquam dubitas videri a Deo, levitates, ineptias et petulantias videri ab eo non putas? Pervulgata est illa historia de Damocle assentatore Dionysii junioris regis Syracusani, qui cum, quotidie fortunam et felicitatem regis prædicaret, rogavit eum rex, numne illam experiri secum et degustare velit fortunam et felicitatem? «Annueunt regali et aureo collocavit lecto strato pulcherrimo textili stragulo, magnificisque operibus picto, abacumque ornavit argento auroque cætrato; eximia forma pueros delectos consistere ad mensam, atque ad nutum illius intuentes, omnia diligenter administrare jussit; addidit unguenta et coronas, incendit odores ipsamque mensam exquisitissimis epulis construxit. Damocles sibi fortunatus visus. At Dionysius in medio apparatu fulgentem gladium e lacunari seta equina appensum demitti jubet, ut impenderet illius beati cervicibus. Quo animadverso Damocles ita animo concidit, ut nec pulchros deinceps administratores, nec plenum artis aurum et argentum aspiceret, nec manum in mensam porrigeret. Jam ipsæ defluerant coronæ; denique tyrannum precatus est, ut abire liceret, quod jam beatus esse nollet.» Refert Maiol. tom. VII. canic. coll. ult. Talis mihi videtur esse vita nostra. Unicuique enim impendit gladius justitiæ divinæ omnia nostra facta, dicta, cogitata observantis, et quis hic gaudere queat?

VI. Mors, iudicium et infernus. Hoc argumentum affert Ecclesiastes, c. XI. dicens: *Lætare juvenis in adolescentia tua, etc. et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Vult dicere: Minime lætare, planctum potius assume, quia a tergo mors et iudicium. Videmus enim unum post alium mori, et omnes cum luctu et fletu sepeliri. Sumus hic velut in carcere unde quotidie educuntur et plectuntur nunc decem, nunc viginti; qua ergo lætitia affici possunt hi, qui in carcere adhuc manent? Nonne quoties captivi claves carceris audiunt, toties contremiscunt? Et tu quoties vides efferri mortuos, toties claves mortis audis. Sed nimirum vere ait Didacus Stella in Lucam in id: *Qui habet aures audiendi audiat*, nos sæpe aures habere ad audiendum, et oculos ad videndum, cum

enim funus videmus juxta nos transire et ferri ad cœmeterium, non aliter id sentimus, ac si audissemus Romæ in hospitali Sancti Spiritus aliquem esse mortuum; contra cum lætum aliquid recenseri audimus, id mox tam firmiter credimus et plaudimus ac si vidissemus. Rana transeunte quopiam juxta paludem earum et loquente, omnes conticescunt; ubi vero is præterit, ad clamores suos redeunt. Ita cum funus effertur juxta tabernam, omnes inibi conticescunt; postea mox ad solitos clamores et tripudia revertuntur. Non ita nos, non ita: ubicumque locorum simus, ad mortem, ad iudicium, ad infernum oculos defigamus. Ita sapuit senior quidam sanctus, qui cum vidisset fratrem quemdam ridentem, ait: *Coram cælo et terra rationem reddemus totius vitæ nostræ, et tu rides?* Dionys. Carth. de IV. nov. c. XVI. Ita pius quidam coquus, quem scribit Climacus, gradu quarto de obedientia, perpetuis lacrymis et luctui addictum fuisse, propterea quod, dum coqueret, ignis materialis inspectione perpetuo meditaretur tartareum illum ignem.

VII. Spes præmii et gaudii cælestis, quod non sine fletu et bonorum operum difficultate obtinetur. Ita Ps. CXXV. dicitur: *Qui seminant in lacrymis in exultatione metent.* Opera enim, quibus obtinenda salus, laboriosa sunt et difficilia. *Delicatus es frater, si hic vis gaudere cum sæculo et ibi regnare cum Christo*, ait S. Hieronymus, in ep. ad Heliodor. Non habuit hoc Christus, nec dilectissima ejus mater, nemo sanctorum, qui omnes euntes ibant et flebant mittentes semina sua. Unde hanc necessitatem confirmat hodie quasi juramento Dominus: *Amen, amen, quia plorabitis, etc.* Sirenes in vita cantant suavissime, in articulo mortis ascendente veneno de cauda ad cor earum, ingentes ejulatus edunt, ut refert Did. de la Vega, dom. III. post pascha. Contra cygnus in vita gemens, in morte suavissime cantat. Ita res habet in proposito. Qui hic lætatur, in morte tristabitur; et contra, juxta id Luc. VI. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Unde diviti illi epuloni petenti guttam aquæ non dixit Abraham: *Memento, quia nec tu dedisti Lazaro micam panis, sed: Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala*, quasi hæc conversio sit necessaria. Ergo sicut hinc illi discipuli cum tristitia quidem ibant in Emmaus, sed viso ibi et agnito Domino reversi sunt Jerosolymam cum ingenti gaudio: ita speremus nos gaudium post mœrorem. Vidimus ergo non vitam, sed multas causas, quæ fletum potius suadent, quam risum, tristitiam, quam lætiam. Sed quid tandem fit? Id quod queritur Isaias, c. XXII. dicens: *Vocabit Dominus Deus exercituum*

in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium, et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Sed Job quid de istis dicit? Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organum. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA.

I. Honor et reverentia Christo exhibendas. — II. Christus ardentè amandus. — III. Omnia in mundo modica. — IV. Discrimen inter verum et falsum gaudium. — V. Bona proposita exequenda. — VI. Matres ita pariant liberos, ut de iis gaudere queant. — VII. Consulat suo quisque agoat.

## THEMA.

Quid est hoc, quod dicit nobis? Joan. XVI.

Quod Exodi, cap. XVI. legimus, hoc modo aliquo spiritualiter impletum cernimus in hodierno evangelio. Ibi postquam filii Israel assumpsissent in deserto panem et farinam, quam tulerant de Ægypto, dedit eis Deus panem de cælo novum et meliorem, manna videlicet; quod cum vidissent Israëlites, dixerunt ad invicem: *Manhu*, id est, *quid hoc?* Quibus respondit Moyses: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum.* Hic vero postquam Dominus in paschali cœna comedisset panes azymos cum discipulis, proponit eis panem novum longe meliorem, panem inquam cœlestem, qui processit de ore Dei, concionem bene longam, saluberrimam et mirificam. Quam audientes et gustantes discipuli dixerunt ad invicem: *Quid est hoc, quod dicit nobis?* quasi dicerent: *Manhu!* Quia vero hoc manna non apostolis tantum sed et nobis missum est: vescamur eo et nos, et ut salubriter vescamur, prius masticatum et dentibus intelligentiæ contritum, memoriæ commendemus.

I. Discimus a discipulis reverentiam et honorem Christo exhibendum ejusque dictis et factis. Nam cum ejus sermonem minus intelligerent, non ausi sunt loquentem interrumpere et interrogare, quid sibi vellet; sed silenter interrogant se invicem: *Quid est hoc, quod dicit nobis?* Nimirum maximi faciebant magistrum suum, quem velut oraculum divinum timide interrogabant ac sæpe ad respondendum provocare non audebant; sciebant enim loqui se cum Deo. Hunc in modum dicebat nos revereri verbum Dei et gesta dictaque Christi. Prime, ut de iis

nullatenus dubitemus, adeoque nec interrogemus, utrum hoc vel illud ejus dictum verum sit. Quanta enim hæc Christo foret contumelia.

Secundo, ut ejus verbis aut factis non abutatur ad profanos usus, aut s. evangelium ventilemus in tabernis; siquidem evangelium et tota S. Scriptura epistola Dei sunt, ad nos scripta et dictata a Spiritu s. Epistolæ S. Pauli in ecclesiis legi consueverant, ut colligitur ex epist. ad Col. IV. quanto magis epistolæ Dei non in profanis locis aut profane recitari ac tractari debent.

Tertio, ut in dubiis non requiramus responsum ab ipso Deo, per revelationes vel miracula, sed sufficiat nobis interrogare nos invicem, hoc est, doctores, et in primis sedem apostolicam. Voluit enim Deus ut alter alterum doceret, quod docendus humilitatem, docens vero exerceret charitatem. Cujus exemplum legimus in Jo. Moschi limonario, c. CXCLIX. de sene quodam simplice et sancto, qui male edoctus ab hæreticis, pravum quid recitabat in s. missa, in qua tamen angelos sibi assistentes cernere consueverat. Correctus igitur a diacono, quasi- vit ex angelis, num audiendus esset diaconus. Annuentibus porro illis dixit: *Eccur vos non dicistis mihi?* Cui responderunt angeli: *Deus ita disposuit, ut homines ab hominibus corrigantur.* Et propterea etiam voluit Deus multa obsecrara esse in s. litteris, quia alios voluit esse doctores, alios discipulos.

II. Dicimus ab iisdem Christum ardentè diligere. Testatur enim et prædicat Christus suam passionem parituram ipsis maximos dolores, quales solent esse puerperæ: et rursum suam resurrectionem allaturam eis maximam lætitiã, qualis est mulieris postquam enixa est filium. Et vere sic evenit. Nam capto Domino, fuga dilapsi sese occultarunt, et qui ex ipsis remanserunt, steterunt a longe quando in cruce pependit Dominus, ut haberetur, Luc. XXIII. præter Joannem. Quis explicare poterit pugnam amoris, et timoris in corde discipulorum? Amor impellebat ad sequendum Christum, ad carceres et mortem; timor repellebat. Quantum doluerunt magistrum et dominum suum tot affici injuriis? Quam acriter seipsos eo tri- duo redarguerunt, ob magistrum derelictum? Quantum erubuerunt, quam fugerunt oculos hominum? Quam vagi discurrerunt? Quam ardentè una ex parte desiderarunt videre resuscitatum Dominum; ex altera vero quam timuerunt prodire in conspectum ejus? Rursum cum viderunt Dominum, quanto gaudio impleti sunt? Hinc currebant ad sepulcrum, et alter alteri nuntiabat se vidisse Dominum, et præ gaudio mirabantur, ita ut vix seipsos esperant

et crederent esse, quem oculis cernebant. Totum hoc faciebat amor: qui si in nobis est, compatiemur imprimis Christo patienti, præsertim diebus Veneris et sabbato, quibus Ecclesia recolat tristitiam apostolorum, per carnis abstinentiam; deinde dolebimus Christum a nobis ablatum peccato mortali plusquam si omnia perdissemus mundi bona. Cogitabimus enim quanto onere conscientiam nostram gravaverimus; quam levi ac brevi voluptate quantum mœrorem emerimus; quanto in periculo versemur; et quod caput est, quod a Christo recedendo, adulterinum partum conceperimus; quam bonum et amabilem sponsum dereliquerimus; quanta nobis confusio esse debeat prodire in conspectum ejus? Rursum post poenitentiam Christo reconciliati gaudebimus ut puerperæ, quod liberati sumus a remorsu conscientiæ et periculo gehennæ, quod gratiam obtinuerimus, pignus æternæ salutis: adeoque cælo nati simus. Quæ qui non facit, Christum non amare convincitur, quia non dolet de offensa, non gaudet de reconciliatio.

III. Discimus a Christo omnia, quæ in mundo sunt, esse modica, sive gaudii sint, sive mœroris: siquidem Christus utrumque tempus, et quo cum discipulis futurus et quo ab eis abfuturus erat, modicum appellat. Illud tempus gaudii, hoc mœroris erat; illud magis recreabat discipulos quam omnes mundi deliciae; hoc magis affligebat, quam omnes mundi miseriae, et tamen utrumque modicum erat. Quid ergo in hoc mundo magnum erit; omnia enim alligata sunt vitæ nostræ fragili, et cum illa transeunt, quo modo cum navi navigantes, et quæcumque in ea sunt, quæ modico tempore apparent, quia cum navi abeunt. Quid honores et dignitates? Quid divitiæ, quid voluptates? Modicum, quia vita modica. Rursum quid contemptus et abjectio, quid paupertas, quid calamitates? Modicum, quia vita modica. Quæ est enim vita vestra? Vapor ad modicum parens, ait S. Jacobus, cap. IV. et Sapiens, cap. V. *Transierunt, inquit, omnia illa tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam.* Hoc modicum expendamus, et dicamus cum discipulis: *Quid est hoc, quod dicit modicum?* Legimus S. Henrico imperatori dum ad sepulcrum S. Wolfgangi oraret, præselem repente adstisse, qui jubebat ut vicinorum tumulo parietem aspiceret. Aspexit Henricus, et vidit in eo has exaratas litteras: *Post sex.* Territus hoc oraculo existimavit sibi sextum inde diem fatalem fore; unde ad mortem se componens magnam vim pecuniæ in pauperes distribuit. Cum vero diem illum salvus pertransisset, sextum ab illo mense designatum esse ominatus est. Rursum cum et

huic supervixisset, sextum annum expectavit, et in ejus expectatione sanctissime vixit: quo elapso non quam expectabat mortem, sed quam minime expectabat, imperialem dignitatem consecutus est, uti habet ejus vita apud Matth. Raderum, in Bavaria s. parte I. Ergo et tu, Christiane, inspice hodiernum evangelium. Quid est quod tibi Christus dicit, *modicum?* Significat absque dubio brevi te moriturum unaque omnibus bonis tuis exuendum et spoliandum, honoribus, opibus, deliciis, amicis, usura hujus lucis, etc. Et quando effluet illud modicum? Quid si post sex horas? Quid si post sex dies? Quid si post sex hebdomadas? Quid si post sex menses aut saltem annos: ergo quia hoc nescis para te ex hac hora: sic moriturus vives, nec tam ad mortem, quam ad vitam et gloriam ibis.

IV. Discimus differentiam inter verum et falsum gaudium. Nam primo, gaudium verum, quod habent Dei amici, internum est, et ab intus nascitur, videlicet a bona conscientia, et Deo ipso animam inhabitante. Unde ait Dominus: *Et gaudebit cor vestrum.* Gaudium falsum, quod habent amatores sæculi, externum est, et ab externis causis nascitur, estque velut musica, quæ ægotantem aut afflictum parum efficit, quia aures tantum non cor mulcet. Illud simile est risui qui ex forti apprehensione objecti ridiculi provenit; hoc vero sui ex titillatione proveniente qui coactus et imperfectus est ac ridentem potius affligit. Secundo, gaudium verum est perenne: unde subdit Dominus: *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Gaudium falsum est momentaneum. Illud est velut puteus perennis et indeficiens; hoc velut cisterna continere non valens aquas. Illud hauritur ingenti et capacissimo vase, intelligentia; hoc vero angusto, sensibus corporeis. Tertio, gaudium verum in altera vita perficitur; falsum vero mutatur in tristitiam. Unde illud simile est mulieri nativam habenti pulchritudinem, quam lotionem non amittit, sed auget; hoc vero mulieri fucatae, quæ cito amittit speciem levi auræ afflatu; quemadmodum gaudium Balthasaris in convivio turbatum est tribus verbis, quæ scribebantur in pariete, Dan. V. gaudium Achab victoris, una voce prophete increpantis, III. Reg. XX. Balthasar enim commutata facie tremere et pallere cepit, nocteque insequente peremptus: Achab vero in furiam versus est. Quare uti piscis gaudet, quando hamum non videns escam devorat, sed cum piscator eum adducere cepit, viscera ejus torquentur: sic impij in hoc mundo lætantur, hamum mortis nihil advertentes; sed cum eos adducere ceperit Deus ex hoc sæculo in alterum, tum demum